

nem, etc. vel etiam tacite, ut si injuriam passus, illam integro anno in memoriam non revocat, cum posset, aut cum injuriante antiquam familiaritatem restaurat, ad convivium invitat, etc. l. *Non solum*, 11, § 1. l. *Sed si*, 17, § 6, ff. *de Injuriis et famosis libellis*.

23. *Quam tamen facere nequit subjectus potestati alterius hoc dissentiente, bene vero dissentiente illo.* — Notandum tamen circa remissionem injuriæ, quod ille, qui sub potestate alterius est, v. g. filiusfamilias respectu patris, religiosus respectu superioris, uxor respectu mariti, non possit injuriam remittere invito illo, sub cujus potestate est; e contra vero pater, vel prælatus possit remittere injuriam illatam filio vel subdito etiam his reclamantibus. Layman, lib. III, p. 2, cap. vi, n. 7; Engel, h. t. n. 13; König, h. t. n. 16, arg. l. *Sed si unius*, 17, § 10, 12, et seqq. ff. *de Injuriis*, ubi tamen § 12, recte fit limitatio illis verbis: « Interdum tamen putamus etsi pater remittat, injuriarum actionem filio dandam; ut puta, si patris persona vilis abjectaque sit, filii honesta; neque enim debet pater vilissimus filii sui contumeliam ad suam utilitatem metiri. »

24. II. *Morte tam injuriantis, quam injuriati.* — II. Morte tam injuriantis, quam injuriati ante litem contestatam contingente. Ratio est, quia injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur, l. *Injuriarum*, 28, ff. eod. nisi sit conjuncta cum damno dato, per dicenda infra.

25. III. *Præscriptione unius anni.* — III. Præscriptione unius anni, l. *Si non convicii*, 5, c. *de Injuriis*, ibi: « Cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit. » Ratio est, quia injuriarum actio prætorica est, quæ anno utili extinguatur, uti habet communis doctorum pr. *Instit. de Perpet. et tempor. act.*

26. *Nisi sit injuria realis, vel scripta.* — Intellige tamen doctrinam præced. num. de injuria verbali; quia actio ob injuriam realem, qua quis verberatus, pulsatus, aut domo vi ejectus est, durat perpetuo, Mynsinger hic observat. 7, n. 7, sicut etiam actio injuriæ scriptæ, Gailus, lib. II, observat. 140, ubi testatur de praxi cameræ imperialis. Et quidem actionem injuriarum criminalem ob libellum famosum perpetuum esse omnes latentur. Pariter perpetua, utpote lege nova, et per consuetudinem in-

troducta censetur actio ad palinodiam. Harprecht, in § fin. *Instit. h. t. n. 17*; Klingensperger, lib. IV, tit. IV, q. 42.

27. IV. *Retorsione.* — IV. Tollitur actio injuriam perur retorsionem; si nempe injuriam verbalem passus, eam retorquet injuriantem, v. g. Si quis ab alio vocatus fur, adulter, spurius, etc. dicit: « Tu mentiris: aut tu ipse talis es, donec talem me esse probes. » Harprecht, in § *Hæc actio*, 10, *instit. h. t. a n. 9*; Klingensperger, ubi supra q. 15, arg. l. 4, ff. *Quod legat.* Ratio est, quia per retorsionem censetur satisfactum injuriato: satisfactio autem tollitur actio injuriarum, l. *Sed si*, 17, § *Si ante*, 6, ff. h. t.

28. *Injuriarum passus tenetur quidem injuriato ignoscere.* — Quæritur IV. Num etiam, et quando in foro conscientie quis possit aut teneatur instituere actionem injuriarum, vel ad palinodiam? Resp. I. Quamvis injuriam passus teneatur injurianti ignoscere in hoc sensu, quod nullum odium, nullamque vindictæ cupiditatem adversus illum habere, vel fovere, minus se ipsa vindicare valeat, tamen non tenetur eidem remittere injuriam, vel ignoscere in tantum, ut omnem etiam actionem injuriarum, vel ad palinodiam remittat, sed potest, imo subinde tenetur ad tuendam suam famam et honorem, harum actionem aliquam pro libitu assumere. Communis, et certa. Prior pars de vitando odio, et vindicta clare patet, ex præcepto Christi Matth. v, insinuata.

29. *Non tamen tenetur remittere actionem injuriarum, sed etiam, in foro conscientie instituere potest, et subinde.* — Altera pars desumitur imprimis ex verbo divino, *Eccles. 41*: « Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. » Dein ex can. *Non sunt*, 65, caus. 41, q. 3, ibi: « Non sunt audiendi, sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensa, in aliquo negligentia sua, per quam fit, ut in malam veniant suspensionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam existimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidat animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei (quibus secundum suam suspensionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum) sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quis-

quis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra, » et can. *Nolo*, 10, cau. 12, q. 1, ibi: « Duæ res sunt conscientia et fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo suo. Qui fidens conscientie suæ negligit famam suam, crudelis est. » Ratio jam est insinuata supra in textu can. *Non sunt audiendi*; cui accedit, quod præter scandalum et præjudicium aliorum, ac nunquam etiam boni communis (ad quod promovendum mala fama notatus plerumque inhabilis est) ex læsione famæ et honoris per injuriam causata plerumque sequatur etiam grave damnum proprium ipsius injuriati, quod avertere per licita media utique poterit, et subinde tenebitur injuriatus.

30. *Non tamen semper tenetur.* — Dicitur notanter: imo subinde tenetur; quia non semper tenetur quis instituere actionem injuriarum, sed potest ex humilitate, vel alia virtute, aut justa causa injuriam et omnem actionem injuriarum ex toto remittere, imo se ipsum infamare confitendo, et propalando occulta sua delicta, vel defectus, prout fecisse constat S. Augustinum, et S. Franciscum. Ratio est, quia homo est dominus famæ suæ et honoris, ita ut ex justa causa possit illam negligere; dummodo non vergat in præjudicium aliorum, prout jam diximus et probavimus in Theologia nostra morali, tr. VII, dist. 5, n. 7.

31. *Plerumque laudabilius, sanctius, et utilius est remittere, quam instituere actionem injuriarum.* — Imo si injuria levis est, vel talis quod ob notoriam injuriati probitatem homines verisimiliter non sicut credituri, vel ejus suspicio per probitatem, vel aliam viam facile evitari, aut aboleri potest, non tantum licet, sed etiam expedit, et laudabile, saneque et meritorium est, ipsaque via Christi, et salutem scadet, injuriam potius patienter tolerare, ac dissimulare, quam actum institutum cum avertere velle; præsertim cum in hujusmodi circumstantiis illa via sit permissa, fama bona acquiritur, etiam si vocatur, de adductio potius, quod solum in proximo sequatur: Hinc l. *De injuriis*, c. *de Injuriis*, exolevit, etiam si sit in auctoritate.

32. *De injuriarum inferentis. Retorsio.* — Quæritur ad quid in conscientia obligetur injuriam inferens, vide apud

theologos, et in Theologia nostra morali, tr. IX, dist. 6, q. 4.

33. *In utroque foro licitum est retorquere injuriam?* — Quæritur V. An, et qualiter licitum sit injuriam retorquere? Resp. Quamvis vindictæ causa non sit licitum referre, seu retorquere injuriam; tamen ad defendendum honorem et famam in utroque foro licita est retorsio injuriæ, si fiat in continenti, et cum moderamine inculpatae tutelæ. Ita Abbas, c. *Cum te*, n. 25, de *Sentent. et re judicat.* Layman, lib. III, tract. III, part. 2, cap. vi, n. 2, et alii. Ratio primæ partis est, quia sicut non est licitum, percutere eum, qui me percussit, si non fiat ad justam defensionem, sed ad vindictam, arg. l. *Si ex plagis*, § 2, ff. *ad Legem Aquiliam*, ita non licet inferre injuriam inferenti; quia nemini licet propria auctoritate se ulcisci l. *Nullus*, c. *de Judæis*, ibi: « Ne quisquam sibi ipsi promittere valeat ultionem. »

34. *Si fiat cum moderamine inculpatae tutelæ.* — Altera pars ex eo probatur. Quia omni jure licitum est, vim vi repellere, l. *Ut vim*, ff. *de Justit. et jur. et l. Scientiam*, ff. *ad Legem Aquiliam*, ibi: « Vi vim defendere omnes leges omniaque jura permittunt, » et c. *Olim*, de *Restitut. spoliat.* ergo pariter licet, retorquere injuriam in inferentem; dummodo id fiat servato moderamine, quantum necesse est ad necessariam defensionem honoris sui. Neque in tali casu tenebitur quis actione injuriarum, quia non animo injuriandi, sed sui honoris defendendi gratia retorsionem fecisse præsumitur.

35. Quod si vero provocatus novam injuriam inferat provocanti, effugiendo convicium, quod non spectat ad ejus innocentiam defendendam, sed concernit aliud factum, uti si per injuriam appellatus fur, injuriantem vocaret adulterum, consequenter moderamen inculpatae tutelæ excederet, utique illicite ageret, injuriæ reus esset, adeo, ut utrique competat actio injuriarum adversus alterum, uti notat Abbas, loc. cit. et Pirhing, h. t. n. 6, et habetur etiam in Jure Bavarico, *Landrecht* tit. IV, art. 6, idque demitur ex c. *Veniens*, de *Jurejurand.* ibi: « Alternativa vitia inferendo certant. »

36. *Et in continenti, potest etiam subinde post intervallum.* — Dicitur autem notanter, si fiat in continenti, quia si post notabile intervallum fiat, videtur sapere vindictam, consequenter esse illicitam, casu quo præ-

senti irrogatur injuria. Quod si vero absenti, vel in scriptis, vel per notarium, vel testes irrogatur, non est necesse, ut in continenti retorqueatur; cum aliquod intervalum sit necessarium ad hoc, ut retorsio commode expediri valeat, arg. l. *Sive ingenua*, 2, § 43, ff. *ad S. C. Tertyll.*

II.

DE DAMNO DATO, ET REPRESSALIIS.

37. *Damnum datum, quid?* — Quæritur I. Quid ad propositum sit, et quot modis contingere possit damnum datum? Resp. I. Nomine damni dati hic non intelligitur illud, quod infertur amotione rei alienæ, et lucri causa, uti contingit in furto, rapina, usuris, etc. de quo agitur tit. de furtis, de raptoribus, et usuris, etc. sed nomine damni dati intelligitur, id quod infertur corruptione, vel deterioratione rei alienæ, sive animatæ, sive inanimatæ absque lucro vel incommodo damnificantis; ut si quis alterius animalia occidat, domum, vel segetes incendat, ac hujusmodi, ob quale damnum de jure datur actio Aquiliæ, vi cujus damnum debet resarciri, et æstimatio rei destructæ restitui, l. 1, et seqq. ff. *ad Legem Aquil.*

38. *Dari, vel inferri potest non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa juridica, lata, levi, et levissima.* — Resp. II. Damnum varie dari, seu inferri alteri potest, videlicet, non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa juridica lata, levi, ac etiam levissima, l. *in Leg. Aquil.* 44, ff. *ad Leg. Aquil.*

39. *In foro externo ex quavis etiam levissima culpa juridica oritur obligatio resarciendi damnum.* — Quæritur II. Qualis tam pro foro externo, quam interno oriatur obligatio resarciendi damnum datum? Resp. I. Non tantum ille, qui cum injuria, et dolo, seu nocendi animo, sed insuper, qui ex culpa sua, etiam levissima damnum proximo intulit, tenetur ad satisfactionem damni illati. Ita habetur c. ult. h. t. ibi: « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hac imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere. » Hæc ibi. Concordat textus l. *In leges*, ff. *ad Legem Aquil.* ibi: « In L. Aquilia etiam levissima culpa vult. » Ratio est,

tum quia « factum cuique suum, non alteri nocere debet » l. *Factum*, ff. *de Reg. jur.* Tum quia potior debet esse causa, ejus, qui damnum absque omni sua culpa patitur, quam alterius, qui sua culpa damnum intulit, etsi forsitan levissima.

40. *Exemplificatur.* — Hinc qui per incuriam non extinxit ignem, sicque incendit domum, tenetur, arg. l. *Si servus*, § *Si fornicarius*, ff. *ad Leg. Aquil.* Idem dic, si quis inconsiderate quidpiam dejecit ex alto, unde alicui transeunti damnum illatum est, ubi tenetur etiam ad resarciendum, arg. l. *Si putatur*, ff. *ad Legem Aquil.* in qua generaliter dicitur: « Culpam esse, cum quod diligenter provideri poterit, non esset prævisum. » Similiter si medicus servi curationem reliquerit, aut imperite curaverit, Lege Aquilia tenetur, § *Præterea*, Instit. *de Lege Aquil.* quia « imperitia culpæ adnumeratur, » l. *Imperitia*, ff. *de Reg. jur.* Caupo, vel rector navis in cujus domo, vel navi furtum est factum, l. *Item exterior*, 3, Instit. *de Obligat. ex quasi delicto*, etc.

41. *In foro interno ad resarciendum damnum tenetur, non tantum qui ex dolo.* — Resp. II. Loquendo de foro interno, certum est, non tantum eum, qui dolo malo, seu nocendi animo, sed etiam illum, qui ex culpa juridica lata alteri damnum infert, ad resarciendum illud teneri. De dolose inferente damnum, nemo dubitat ob clara jura c. *Si quis*, 6, c. *Olim*, 7, h. t. cum Concordantiis.

42. *Sed etiam qui ex culpa lata illud intulit.* — Alteram partem de damnificante ex culpa lata tenent Innocentius, et interpretes in c. *Sicut*, 6, de *Homicid.* Sylvester, § *Culpa*, n. 5 et 6; Palao, tr. XXIII, disp. 3, p. 1, n. 7; Molina, disp. 293, n. 7, et communissima aliorum. Ratio est, quia culpa lata supponit gravem culpam theologiam, dum nempe omittitur illa diligentia, et cautela, quam adhibere solet, et ad grave damnum proximi avertendum, quilibet jure naturæ tenetur, indeque si illam omittat, causa moralis censetur fuisse damni.

43. *Non tamen ante sententiam judicis, si ex culpa levi, vel levissima, vel alias absque peccato, seu culpa theologica illud dedit.* — Resp. III. Quamvis non desint doctores, veluti Covarruvias, de *Sponsal.* p. 2, cap. vi, § 8, n. 15; Zoesius, in ff. *ad Legem Aquil.* n. 6, et alii volentes ex quavis etiam levissima culpa juridica, in conscientia quoque oriri obligationem resarciendi damnum da-

tum, tamen Lugo, disp. 7, de *Jur. et justit.* sect. 3 et 4; Lessius, lib. II, cap. vii, n. 24; Chlingensperger, lib. IV, *Instit.* tit. III, q. 9, et alii communius, et probabilius docent, quod si quis absque peccato mortali, vel veniali, adeoque sine culpa theologica damnum infert, ante sententiam judicis in foro interno sive conscientie non teneatur ad damnum resarciendum. Ratio est, quia alioquin ejusmodi leges essent nimis rigidae, et in foro animæ vix practicabiles, neque naturæ seu conditioni humanæ accommodatæ, adeoque injustæ, arg. c. *Erit autem*, dist. 4, ubi ad justitiam legis inter alia requiritur, quod sit possibilis secundum naturam, etc. id est, non contineat onus grave, et attentata fragilitate humana importabile, præsertim si id non exigit boni publici emolumentum, cui quantum ad propositum sufficienter providetur, eo quod prædictæ personæ in foro externo, et in conscientia saltem post sententiam judicis obligentur.

44. *Post sententiam vero etiam in foro interno tenetur.* — Nec dicas. Si talis non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, ergo neque post ipsam, quia potius ejusmodi sententiam erit injusta. Respondetur enim negando consequentiam; nam cum ejusmodi leges, volentes resarciri damnum etiam ex culpa levi, vel levissima illatum, justissimis de causis sint positæ, partim ut quilibet invigilet amplius, ne sua vel suorum culpa damnum aliquod proximis inferatur, sicque pax communis, et publica tranquillitas conservetur; partim ut præcaveatur innumeris fraudibus et malitiis hominum, quæ in foro externo sunt difficilioris probationis; sententia judicis conformiter dictis legibus lata, merito etiam in foro conscientie obligat, non obstante, quod antea needum adfuerit talis obligatio resarciendi damnum sine omni culpa theologica illatum.

45. *Doli, seu culpæ theologice incapax, et adhibens diligentiam debitam in nullo foro tenetur ad resarciendum aliquod damnum.* — Resp. IV. Quando damnum inferens, vel incapax culpæ fuit, ut furiosus, vel infans; vel saltem in præcavendo damno prius omnem diligentiam adhibuit; aut damnum non cum incuria intulit, is non tenetur ad reparationem. Prima pars habetur c. *Illud*, 15, q. 1 et l. *Sed etsi*, ff. *ad Legem Aquil.* unde damnum a furioso vel infante illatum reputatur inter casus furtivos, nisi

culpa alicujus alterius præcesserit. Impubes autem si est doli capax tenetur, ut ll. cc. notatur.

46. *Sicut nec, qui illud jure intulit.* — Secunda pars patet ex cap. ult. § fin. h. t. juncto § 4 et 5. *Instit. de Leg. Aquil.* cum Concordantiis. Tertia vero ex eo liquet: quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, l. *Nullus de Reg. Jur.* et nemo damnum facit, nisi is qui facit, quod facere jus non habet. Hinc damna in bello justo hostibus illata resarcienda non sunt; quia omni jure vim vi repellere licet, l. *Scientiam*, ff. *ad Legem Aquil.* Similiter non tenetur, « qui in suo fundo fodiens vicini fontem averterit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit, » textu claro l. 1, § *Denique Marcello*, ff. *de aqua pluvia arcend.*

47. *Ratione damni litigans damnificator tenetur etiam ad expensas litis.* — Resp. V. Non solum damnum illatum tenetur reus resarcire, sed etiam temere litigans condemnandus est victori in expensas litis, quando sententia fertur pro parte præsentis, et quidem in causis pecuniariis. Ita tenet Pirhing de pœnis nu. 8, et seqq. atque desumitur ex c. *Calumnia de pœnis*. » De cætero in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnatur. »

48. *Si temere litigavit.* — Et hoc intelligi non solum, quando alter per calumniam vel dolum litigat, sed etiam si absque dolo temere tamen et inconsulto litigaverit, quod quidem in dubio semper præsumitur contra victum. Si vero talis justam causam litigandi habuit, non debet condemnari, arg. c. *Sacro*, 48, § *Verum de Sentent. excommunic.* et l. *Qui solidum*, § *Etiam*, ff. *de Legatis*, II, ac tenet Glossa magna, *Finem litibus de Dolo et contumac.* Alioquin autem expensæ, in quas victus condemnari debet victori, sunt taxandæ a judice secundum qualitatem litigantium, præmisso tamen per victorem juramento, quod revera tantum expenderit, arg. c. *Olim de injuriis*.

49. *Ob damnum casu contingens, nullus tenetur.* — Resp. VI. In nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui prævideri, et evitari non potuit contingit. Unanimis, c. *certa*, c. *Unici de Commodato*, et l. 1, § 4, ff. *de Obligat. et Act.*

50. *Ob damnum datum competit actio ex lege Aquilia ad illius resarcitionem, et insuper*